



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

I. Paries palmatus. Pro caeco contra novercam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

M. FABII QUINTILIANI

ORATORIS ELOQUENTISS.

DECLAMATIONUM

LIBER.

DECLAMATIO I.

PARIES PALMATUS.

ARGUMENTUM.

Quidam cui erat filius cæcus, quem heredem instituerat, induxit illi novercam, juvenemque in secreta domus parte seposuit. Is noctu dum in cubiculo cum uxore jaceret, occisus est: inventusque postero die habens gladium filii defixum in vulnere, pariete ab ipso ad filii cubiculum vestigiis palmæ cruentato. Accusant se invicem cæcus & noverca.

Pro cæco contra novercam.

SI juvenis innocentissimus, iudices, uti vellet ambitu tristissimæ calamitatis, poterat allegare vobis amissam cum oculis cogitationum omnium temeritatem: sed cum ostendere innocentiam suam moribus malit, quàm adversis; neque pietatis neque conscientix suæ gravem ferre contumeliam potest, ut parricidium non fecisse videatur beneficio cæcitat. Quare non petit ut miserum putetis, nisi & innocens fuerit: non petit ut afflictum allevetis, nisi & probaverit sese infeliciorem quod patrem amisit, quam quod oculos. Æstimate juvenem iis moribus, quibus videntem æstimate, vita, pudore, pietate. Quæ si omnia sibi, ut erunt promissa, constiterint, nullo terrebitur crimine. Nec quod sceleratissima foeminarum calamitatem nostram cruentato

A

pariete

DECLAMATIONUM.] Trebellius Pollio in triginta tyrannis de Postumo juniore. Fuit autem (quod solum memoratu dignum est) ita in Declamationibus disertus, ut ejus controversiæ Quin-

tiliano dicantur insertæ: quem declamatorum Romani generis acutissimum, vel unius capituli lectio, prima statim fronte demonstrat. Gronovius

pariete imitata est, expavescimus. Quo diligentior quo sollicitior fuit ne deprehenderetur, hoc magis indicavit sibi oculos non defuisse. Gratias agimus, quod nimium avidæ suspicionis argumenta in nostram transtulit partem. non esse cæci scelus difficilius probaretur, nisi omnia sic acta essent, ut fecisse Cæcus videretur. Quare, iudices, non improbe speraverim futurum, ut suspecta sint vobis, quæ tam inconsiderate ficta sunt contra miseram cæcitatem. Primum quod spatium illud ingens domus, quod in medio fuit, ita digesto cruore satiatum est usque ad cubiculum miserimi juvenis, tanquam plane timuerit parricida, ne non deprehenderetur. Deinde sceleri nox potissimum electa, quo tempore inveniri maritus sine uxore non posset. Tum in cæde in qua nemo utitur ferro, nisi alieno, gladius adolescentis, ne argumentum deesset Novercæ, relictus est. Postremo peractum vulnere uno scelus, quod objiceretur manibus errantis. Et tamen contra tam multa incredibilia solum advocat Noverca testamentum, vultque illud esse pretium parricidii: ut rerum intellectu in diversum coacto, occisum eò probet patrem, quod non meruerit occidi. Nos vero istud (si crimen putatis) agnoscimus. Juvenis hic patris sui hæres solus est. Hoc testamentum, si vivente adhuc miserrimo sene notum esse in domo potuit, scitis quis illi debuerit irasci. Nam quod invisum fuisse filium patri jactat, crimen Novercæ erat, si confiteremur. Idque probari ex hoc putat, quod secretum non filius accipit à patre, sed cæcitas. Quo loco dissimulare satis callide conatur invidiam suam. Pater qui filium cæcum in semota penatium parte seposuit, eripuit Novercæ oculis voluptatem. Namque ista cum invasisse vacuos penates videretur, cum patri filium Cæcum hoc esse crederet, quod orbitatem excogitavit indulgentissimus senex, quemadmodum hic miser patri suo in eadem domo esset, Novercæ in alia accepit secretum quod erat petiturus. Quod quo sit animo senis factum, potestis interrogare testamentum. Neque ego gravissimum patrem

patrem suprema sua juveni jactasse ¹ crediderim, ut hæredem filium scriberet. Non est res quæ imputetur: istam magis oportet vel aliquo indicio, vel suspicione muliebri arcana mariti deprehendisse, & statim omnibus nuptiarum renunciaſſe pignoribus. Nam cum propter pecuniam ames, idem amoris & ſpei finis eſt. Habuerat adoleſcens gladium in cubiculo ſuo ſemper, ſive antequam in hanc fortunam incideret paratum; ſive quia cæcitatſ miseræ ſolatium eſt habere rem videntium. Certe nunquam illum pater timuerat, nunquam Noverca objecerat. Palam poſitum eſt ſub oculis omnium tota domo notiſſimum ferrum. Scitis quanto negligentius cuſtodiat ferrum bona conſcientia, quam etiam extra ſuſpicionem ſit res ſine uſu. Innocentia facit ut ferrum ſubtrahi poſſit etiam videnti. Sive igitur aliquis ex ſervulis corruptus eſt, præſertim in tam facili occasione; ſive ipſi Novercæ ² non defuit audacia ad ferendum, quod facere poterat & præſente privigno, utique (quod dubitari non poteſt, quod facit certum ſceleris auctorem) mavult in cæde alieno uti quam ſuo gladio quiſquis illum relicturus eſt. Reliqua, iudices, ſi fieri poſſunt, facta æſtimate. Dicitur Cæcus ſine rectore, ſine duce, ex illa penatium parte ſecreta, & pene ex alia domo, per inane longum, per tot offenſa limina, per excubantes ſervulos erraſſe cum ferro; cubiculum deinde patris ingreſſus, in neutram deflexiſſe partem, ſed recto gradu ſicut ducere oculi ſolent, ad lectulum acceſſiſſe leviter, non in torum incidiſſe, non ante perveniſſe quàm crederet. Vos, iudices, criminum tumultum ex rerum fide ducite. Dormiens ſenex, quem Cæcus percuffor quæreret, excitatus ante eſſet quam inveniretur. Jungunt his multo incredibilia, ut occiderit patrem, pepercerit Novercæ, parricidium autem uno ictu explicuerit: quod fere vix etiam iis

A 2

contin-

¹ Crediderim ut hæredem filium ſcriberet.] Lege, jactaſſe crediderim. Hæredem filium ſcribere non eſt res, quæ imputetur. Gronovius.

² Non defuit audacia ad ferendum.] Al. ed. ad afferendum. Scribe, ad auferendum. nempe gladium ex cubiculo privigni. Gronovius.

contingere solet, qui oculos manu sequuntur. Nulla ergo luminum virtus, sed homo ferrum missurus in casum, satis felix si percussisset quamcunque corporis partem, in ipsam protinus animam incidit, & an morti satisfecisset, intellexit. Officium, iudices, oculorum est renunciare manibus quid actum sit. Cæci percussoris una securitas fuerat, sæpius ferire. Negat præterea quicquam se ex his Noverca sensisse, cum juxta jaceret: nec explicat unde illud acciderit maximæ signum trepidationis. Si & pater uno ictu perierat, neque ista vigilabat, nunquam gladium reliquit percussor securus. Reliqua, iudices, nimium suspecta, improbe assimulata. Spatiosissimus paries, & longissimum domus latus habuit notas sanguinis, quas reliquisse videretur manus revertentis. O quam bene quicquid volunt imitantur oculi! Stupeo si qua est fides, omnia privignum illa nocte fecisse. Dicitur ad votum Novercæ gladium in vulnere reliquisse, quem suum negare non posset. Deinde per totum parietem quid aliud inscripisse, quam se parricidam sanguinem patris usque ad cubiculum suum perduxisse, & viam sequentibus reliquisse? Hoc fecit aliquis negaturus? Gratulor tibi adolescens, si non potuisti parricidium illud admittere, nisi ut relinqueres argumentum cæcitatæ. habuisti innocentia necessitatem. Causam igitur miserrimi adolescentis sic apud vos agere proposui, ut primum ipsum defendam, quasi reustantum sit: deinde cum esse securus de hujus innocentia coepero, tunc ingrediar Novercæ accusationem. Spectabitis utrumque suis moribus, suis causis; eritque facilius via vestrae religionis. Quamquam duos iudicia complexa sunt, vos tamen tanquam de singulis cognoveritis. Et primum sic agam, tanquam juvenis habeat oculos, tanquam impetus ejus nulla corporis debilitate frangantur. Interrogabo quid ante perditæ, quid flagitiose, quid impie fecerit, per quæ se parricidam scelera promiserit. Innocentia per gradus certos ab homine discedit: & ne in maximis
trep-

trepidet audacia, diu vires in minoribus colligit. Nemo inde cœpit, quo incredibile est pervenisse. Dicas necesse est quæ huic cum patre odia fuerint, quam violenta dissensio inter Sacrorum infinita nominum pignora. Crede mulier etiam tua caussa. Nam si facile est filio occidere patrem, facilius est uxori maritum. Loquar nunc de infirmitate miseræ cæcitatæ. Temeritas omnis animorum calamitate corporum frangitur: & frigescent impetus mentium, quos non explicant ministeria membrorum. Ad solum se alligat destituta mœrorem. Vultus ille perpetua nocte coopertus ac timidus non concipit nefas, ad quod ducibus oculis pervenitur. Cogitat semper errare & offendere, cogitat eundi redeundique difficultatem. Magna innocentia necessitas est, neminem facilius posse deprehendi. Semper se custodiunt miseri, ne esse miserabiles desinant: & quisquis amisit oculos, laborat ne merito perdiderit. Quid aliud cæcitas discit, quam rogare, blandiri? Odium omne adjuvant oculi, & hunc in pectoribus humanis furorem lumina accendunt: nec levis animis accedit insania, quoties quem execreris aspicias. Cæcus miserior est, quam ut invisus sit; timidior est, quam ut oderit. Præterea nocentibus liberis frequentissimas ad parricidium causas suggessit illud quod videbant. Vitiis enim nostris in animum per oculos via est. Aliis tradidit in parentum sanguinem luxuria ferrum, luxuria videntium crimen: aliis meretriculæ amor immodica poscentis: amor cui renunciant oculi. Cæcus infelix patrem occidit? deinde cui manum porriget securior? cujus humeris levior incumbet? Quis contumelias fervorum castigabit severius? quis calamitatem tam obnoxiam majore reverentia proteget? Inter felices ¹ alius est ordo votorum: cæcus filius optat superstitem parentem. Volo nunc scire quemadmodum dicat explicitum tam difficile facinus. Cæcus parricidium cogitavit? cum

A 3

quo?

¹ *Alius est ordo votorum.*] Vide ad rum lib. 4. Suspicionum, & ad Plauti hujus loci lucem elegantia apud Grute- Asinariam act. 1. sc. 1.

quo? cujus se commisit oculis? iturus per totam domum, quem ducem elegit? Ille qui erat in cubiculo suo solus, secum (opinor) secum deliberat. Sufficit sibi cum homine expeditissimo loquitur. Cur enim socium conscientiae quaeratur? omnia potest scire. Primum, nox quando sit. Deinde prospicere sollicitè, an omnis familia dormiat. Gradu suspensio ponere certa vestigia, & in omnem timoris sui partem sollicitum circumagere vultum. O quam parum est in metu ipsos etiam oculos habere! ita non iste sibi dixit, Occidere quidem patrem volo, sed quem sequentur hæ manus? Nocte solus egrediar, sed quando perveniam? Putas nos junctis habitare liminibus? domus inter patrem filiumque media. Quantum erroris, quantum moræ! spatium ingens & vix metiendum. Cæcitas inconsulta quid agis? nox ante deficiet. Quid si deinde uterque vigilaverit? quid si Noverca? Age, limen inveniam, cardinem sine strepitu movebo, dormientis cubiculum intrabo, quiescentem feriam patrem. semel fatis erit, nec Noverca vigilabit. Securus egrediar, sciente nullo revertar. Vota sunt ista, sed oculorum. Cæcus desperaret, etiam si tam multa nox polliceretur. Hoc loco quaeramus necesse est quæ ratio fuerit ut juvenis ad parricidium suo potissimum gladio uteretur. Nimirum illud in mentem venit, quia erat relicturus. Nam si alienum & ignotum in vulnere patris gladium reliquisset, potuerat de percussore dubitari. Hic attulit suum, ut etiam si evasisset, tamen ferro suo teneretur. Cur ergo, inquis, gladium in cubiculo tuo habebas? quia habueram semper, quia usus illo non eram. Ferrum ergo parricidio meo tot ante annos præparavi, & secundum illum quem minabar patri, tam diu innocens fui? Ego eram ferro ac mente paratus, & tot abiere noctes? Ante gladium illum familiarem oculis tuis feci, ante omnibus servulis notum. pependit in cubiculo tanquam testis conscientiae meae palam in medio negligenter, sic ut subtrahi posset. Non illum conscientia trepida velavit: tam notus in cubiculo fuit,

fuit, quam cæcitas domini. Quisquis ferrum præparat sceleri, sic illud habet, ut possit suum negare. Ponite nunc ante oculos actum parricidii, deprehendetis difficultatem. ¹ Dono illud dum à suo limine egreditur, dum illos quos accepit à patre servulos, fallit: ecce cubiculum senis invenit aliquando, ecce paries ille deficit, & percussoris manus subito destituit, cessere fores sine strepitu: quid postea agit? utrum ipsum cubiculi parietem circuit, an se committit in medium, & per spatia tenebrarum armatam manum jactat? Ecce patris lectulum tenet; & jam dormientium anhelitus imminens audit; unde sciet quo dirigat ferrum? quem potius feriat ex duobus? Tentavit ergo vultus, & pectus objectum? brevissimam perituræ animæ viam quærit? & quantus erit sopor, qui ista non sentiat? Dices, neque ego sensi. Ideo intelligis quam malam causam habeas, cujus & una & incredibilis defensio est. Ita feritur in sinu tuo maritus, & tu nihil sentis? Ad latus tuum fata hominis peraguntur, tu taces tanquam te privignus occiderit priorem? Ita non ille percussus est homo, quem Cæcus occidit? Te vero (si nihil aliud) calens ille cruor denique suscitasset. Sed quam manifesta est conscientia quæ te ad hanc compellit necessitatem, ut cum occisum à privigno tuo patrem videri velis, cogaris dicere nihil sensitisse? Sufficit, vicimus, innocentes sumus. Cum in eodem lectulo fueris, cum amplexa sis forsitan illum qui occisus est, tam incredibilem profiteris soporem? Cur ergo tu incolumis es? quæ tam iratis manibus sanguinem tuum fortuna subtraxit? Certe dormiebas, certe nihil senseras. Ita privignus te reliquit, qui deprehendi non timebat? Occidit ergo aliquis patrem, & novercæ pepercit? Maximum omnium nefas fortiter fecit, minori sceleri statim par non fuit? Omnia humana sacra confudit, violare non est ausus

A 4

pectus

¹ Dono illud, dum à suo limine egreditur, &c.] Hoc est, non utor hoc: non illud argumentor, quam difficile fuerit

à limine egredi, servulos fallere. Gronov. Observat. lib. 3. cap. 23.

pectus ¹ odiorum? Incredibile est, sine fide est, non occidere novercam, cui imputes, quod patrem occidat. Quid ais adolescens? tunc circa illum sanguinem defecisti? Illa te blandius rogavit anima? perdidisti ergo, illud, quod nihil fenserat, quod nox, quod silentium, quod tempus supererat, sceleris alterius? Tu si facere parricidium posses; ideo patrem tantum occidisses, ut tibi & novercam liceret occidere. Non video cur, nisi videri velit relictam mulierem ideo tantum, ut videretur illud nefas illa fecisse. callide fatis. Sed hoc alio protinus argumento subverteretur. Non est ejusdem consilii novercæ parcere, ut substituat ream & gladium relinquere quo ipse deprehendatur. Sæpius uti necesse habeo argumento cæcitatibus, & hoc etiam loco, quo de illo vulnere disputandum est. Mehercule si percussor intrasset qui videret, qui lumen præ se tulisset, non tamen tam feliciter librasset ictum, quem etiam si nullæ fallerent tenebræ, metus & conscientia magni sceleris testes incertum fecissent. Raro contingit semel ferire carnifici, quamvis componat ipse cervicem, & ² exercitata manus homicidium novissime velut quoddam genus artis exerceat. Sic ergo libravit manum Cæcus, ut ipsam protinus feriret animam? Ego mehercule etiam illud admiror, quod cum patrem vellet, non novercam percussit. Præter animum nihil virium habet parricidæ primus ictus: ille trepidat, ille cogitat, ille erubescit, ille est ab innocentia proximus: ille præstat hoc solum, ut sequens fortius feriat. Interrogare nunc volo quæ juveni causa fuerit, ut reliquerit gladium. Scilicet noluit Novercam suam infamari. Abstulit sibi omnem defensionem, & se parricidam confessus est. ferrum in vulnere reliquit. Si nondum occisum putabat, iterum feriret. Si jam perfectum nefas intelligebat, auferret indicium. Sed quid ego rem manifestissimam colligo? Si vultis, iudices, scire à quo sit gladius relictus, cogitate cui expedierit, ut inveniretur. Sed paries usque ad cubiculum

¹ Odiorum.] An odiosum? Pass.

² Exercitata.] Alii expectata.

lum privigni vestigio manus cruentatus est. Cogitate, iudices, ante omnia, non esse in callidum hominem; neque consilii jacentis, qui cæcus explicare conetur facinus etiam oculis difficile. Ille ergo non existimat, cum manum cruentam parieti applicat, vestigium à se parricidii sui relinqui? cum dexteram qua duce utebatur, veste tergere, atque ita abire sine vestigio posset, totum parietem cruentabat, & ubique aliquid de patre misero relinquebat? Quid futurum esset postero die, quantam expectaret invidiam ad lucem, non cogitabat: sed disponebat indicium certum, indubitatum sine errore, quod Noverca sequeretur usque ad cubiculum suum, usque ad limen ipsum? O admirabilem casum, nec cruor ante defecit? Utar hoc loco natura ipsius rei. Palmatus sanguine paries inventus sic est, totam manum explicuit, omnes digitos diligenter expressit. Totum ergo sanguinem consumeret intra prima vestigia. Pone enim manum cruentatam atque adeo (ut istis etiam blandiar) madentem; pone mensuram itineris, spacium parietis: diu enim in secretam domus partem revertendum est: debet proxima pars à cubiculo patris habere plurimum sanguinis, sequens minus, tertia minimum: ultima nihil. Nam cruor quoties admotus est transit, aut in manu tarde reptantis arefcit. Hoc quid esse dicamus, quod circa cubiculum utrumque sanguinis istius vestigium quasi incipit? hinc est paries palmatus, & illinc? Quomodo pertulit manus quod relinquebat? Noverca istud, Noverca securis composuit oculis: illa miserum dextera sanguinem tulit, & manum subinde renovavit. Palmatus paries habet distantiam, vacat aliquid loci, integrum ubique vestigium est, Cæcus manus traxisset. Quæro nunc, unde tantum sanguinis in manu? Tunc enim ex omni vulnere cruor profluit & effunditur, cum ferri recentem viam sequitur. At quoties eodem quo factum est cluditur telo, latet tota mortis invidia. Præterea¹ cum manus ex parte qua palmare vesti-

A 5

gium

¹ Cum manus ex parte, que palmare.] Lege, ea parte. Gronovius,

gium potest, plicetur in capulo, & se dum telo occupat claudat, necesse est exteriore ut parte resperfa sit. Tuus autem qui palmatus est paries, vestigium ejus partis ostendit, ad quam cruor pervenire non potuit. Vestrum est nunc omnia ista comparare, perpendere. Cur prudentior sit judex in deprehendendo scelere, quam reus in admittendo, hoc esse in causa puto, quod alter tantum pro se cogitat, alter pro parte utraque. Tuitus sum adolescentis miserrimi causam, nunc inspicere volo quanto certioribus argumentis Noverca teneatur. Transeo illum vulgarem & omnibus notum de comparatione personarum locum. Alius diceret, maritum & uxorem, nisi liberis initiarentur, non fortissimis corporum vinculis inhærere. Ego illud potius dicam. Decepta est mulier expectatio tua. Veneras quasi in vacuum domum, & sine hærede. Expectaveras ut infelix iste juvenis ab ipsis protinus nuptiarum tuarum expelleretur auspiciis, extorrem, & inopem summo veret pater blando corruptus amplexu, & omnino summam calamitatem corporis occurrere delicatis uxoris oculis vetaret. Invenisti pium & devotum unico senem, & de omnibus conjugis tui desperasti ob id affectibus. Miserrimus est maritus quisquis inducit filio novercam, quod uxori non videtur posse utrumque amare. Quæro igitur ante omnia, ubi occisus est maritus? In cubiculo suo. hoc paulo ante privigno defendendum non fuit. Occisus est in cubiculo senex. Ita ille percussor non timuit uxorem? Audio secretum nuptiarum, & matrimonialis lectuli solitudinem occisurum intrare. Quem quæram? ubi relinquitur maritus ab uxore innocens? Noctem autem ad scelus quis elegit? Nox tuum tempus est. quid si accedit huic etiam sceleris occasio? Non venire

I Et omnino summam calamitatem corporis.] Lego : & ominosam calamitatem corporis, M. Seneca in Contr. 33. quæ inscribitur, Debilitans expositus. Occurrunt nuptiis omina dira, sacris publicis auspiciis feratia. Justinus lib. 12. de Græ-

cis, qui pœnam captivitatis truncata corporis parte tulerant: agros accipere maluerunt, ne non tam gaudium parentibus, quam detestandum sui conspectum deportarent. Gronovius.

venire debes, ad secretam domus partem, nec ¹ tota tibi penatium sacra peragenda sunt. Tu non cogitas quemadmodum suspenſa manu ſonantem blande cardinem flectas. Jaces ſecundum occaſionem, & expeditum tibi in proximo facinus eſt. Non times, ne quis deprehendat. Ipsi quoque ſervuli longius quieſcunt, & præſtatur grande ſecretum genio loci. Tibique ferire cum velis, ſcire an dormiat licet. Nox & ferrum, & ſecurus maritus, quidnam iſto delicatius ſcelere? Occiſum eſſe miſerum ſenem cum tu volueris ſcimus. Quomodo tamen, inquit, gladius pervenit in meam poteſtatem, qui privigni fuit? Hæremus, hic difficilis expugnandus eſt locus. Quis credet mihi ſi dixerò, *Gladium Cacus ille perdidit, perpetua nocte clauiſa genæ non cuſtodierunt?* Fingere nimirum ad tempus videbor, & rem nimium manifeſtam impudenter complorare. Scilicet ſemper iſti appoſita capulo manus, & diebus ac noctibus curæ. Nolo tanquam callido glorieris ingenio, non decepiſti trucem horridumque latronem: noſtri tibi occaſionem præbuere mores. Nam quod uno ictu occiſus eſt ſenex, ad te ſuſpicio magis reſpicit. Tu præparare corpus illud ad ictuſ poteſ, dum videris amplecti. Tu blanda manu prætentare petuſ, ubi aſſiduo viſceris pulſu non quieſcat anima, ubi ſtatim mors ſit, ubi de ſpiritu ſanguinis ictuſ explorare ante & cognoſcere licet. poteſt & uno ictu mulier occidere. Venio nunc ad veſtigia parietis cruentati, quibus tē ſatis abundeque preſſimus, dum adoleſcentem defendimus. Hæc ſunt tamen quæ contra te reſervata ſunt. Cum maritus tuus in cubiculo occideretur, ſciebas nullum tibi relictum patrociniū, niſi aliquid cæcitati ſimile feciſſes: ideoque ſanguinem in illam partem induxiſti, in quam quæri volebas, ut poſtero die omnis invidia ſanguinis notas & veſtigia præparata ſequeretur. Infamas Cæcum, conſilium ex calamitate ſumpſiſti. Sciebas illum non aliter, ſi
dux

¹ *Tota penatium ſæva peragenda.*] Ovidius 13. *Metamorph. Cum ſol duodecim peregit ſigna.* Gronovius.

dux defecisset, ingredi posse quam si vestigia parietis perpetuitate dirigeret. Simulasti itaque cæcitatem, & ne quid sceleri impio deesset, mariti tui cruore lusisti. Omnia tibi composita atque simulata sunt per ocium, & securitatem, tanquam scelus transferretur ingenio. Nunc enim tu innocens, quia privigni gladius in vulnere, quia paries cruentatus. hoc sufficere utrunque indicio putabas? Quam facili momento causæ fata vertuntur! quod fecisse etiam is scelus frequenter inventus est, qui objiciebat. Sed causas, inquit, parricidii iste habuit, quem iratus pater in secretam domus partem relegaverat. Mulier illa forsitan ignominia felicioris videretur esse privigni. Cæcitatibus beneficium est cum illi secretum datur. O præclaram senis optimi singularemque pietatem! quam blande ille seposuit miserum suum? quam diligenter uxoris gaudentis exclusit oculos! ¹ quam multo Cæcum pudore donavit? Si felicior, inquit, essem pater, ego tibi potius cederem domo tota. Nunc miser illam occupa partem, in qua nemo te videat, in quam solus ego veniam. sint circa te servuli fideles. non gemitus tuos audiat quisquam, non flebili mœrore pascatur. ² Nihil est quod te sollicitet conversatione nostri. Secretum quod cæcitati præstatur, ideo præstatur ut minus oculi desiderentur. Aliquis odit filium cæcum, & hac tantum ultione contentus est, ut illi assignet quietam, & sepositam, & meliorem domus partem? Ita ais, ego sic intelligebam, quasi abdicaret, quasi expelleret. Iratus igitur senex tenet juvenem suum velut interiore complexu, & à limine obstat? Rogo, quod duos separat media domo te integram, sanam: illum infelicem, cæcum, contumeliæ opportunum, injuriæ facilem. utrum filio irascitur, an uxori?

¹ *Quam multo cæcum pudore donavit.]* Scribendum: *quam multum cæco pudorem donavit.* Ut apud Senecam in Phœnissis *ŷl. 233. & aures ingerunt quicquid mihi Donastis oculi.* Ubi vide. Quam multa subtraxit cæco, ob quæ illum quotidie erubescere & pudore angi oportet, si in promiscuo versaretur. Gronovius.

² *Nihil est, quod te sollicitet conversatione nostri.]* Lege, *conversatio nostri, vel, nostra.* Causam non habes, cur desideres conversationem quotidianam omnium domesticorum. Gronovius.

uxori? Nolo, inquit, juvenis utaris amœna domus parte, ne hæc quæ nitidioribus tectis elaborata sunt, pertineant ad oculos tuos. Quis tam stulte irascitur Cæco, ut putet illius interesse ubi habitare jubeatur? Te potius ille submovet, tuis invidiam facit oculis: tibi dicit, *Sufficiat, satis est, habes majorem domus partem.* absentem puta, misero in paternis ædibus aliquem angulum relinque. Pater qui filio subnoverca assignat secretam domus partem, confitetur uxori se abdicare non posse. Transit ad aliud genus defensionis, *Sibi causam cædis non fuisse, cum hic hæres inventus sit omnium bonorum.* Quis enim alius esse debeat, ut huic prope-
randum fuerit ad hæreditatem? Filius scriptus non timet pœnitentiam testamenti. Omnium bonorum hæres relictus est. Non ergo irascebatur pater, cum daret secretam domus partem. Non possunt tibi diversa prodesse, eadem objiceres reo si exhæredatus esset. Elige utrum volēs. Si scivit se esse hæredem, amare magis patrem debuit: si ignoravit, non habuit quod speraret ex morte patris. Reliquum est ut intueamur, ille qui periit, ab utro magis vestrum desideretur. Te opinor hic gravius afficit dolor, impatientius hic luctus exanimat, tuque obsoletam protinus nubem, & temporis accommodata lugubria flammeo revertente mutabis: hic vero juvenis, qui si fortunæ suæ mala cum præteritis comperet, cæcus cœpit esse nunc primum: quid non miser in hoc sene perdidit? vivebat illi magna pietas, aderant quocunque jufferat de facie patris oculi non illudere infelicibus tenebris contumaces servuli poterant, nec (quod extremum contumeliarum genus est) ut dominum ageret rogabant. Nunc quanta dii boni ludibria sunt ineunda? Junxere se pariter cæcitas & solitudo. Quid tibi nunc miserrime adolescens hæreditas prodest, quam tantum audis? quid enim circa te pecunia potest? quæ fruendi voluptates? quid aliud quam spoliolum facilis occasio? Quam bene ista omnia paterni oculi custodiebant? quam facile decipi, quam facile denudari, quam sine labore

labore falli potes? quam cito inops fieri? Morte patris ex-
hæredatus es. Quid nunc tibi nisi perpetuus imminet mœ-
ror & execratio vitæ? Miser post omnia & lacrymas per-
didit, nec dolentem adjuvant oculi. Incipit apud te gla-
dius habere quod agat. Quærit, ecce quærit miser fer-
rum. Nunc, inquit, huc reddite illud innocens donec ha-
buit meas manus tantum. si mori necesse est, illi potissi-
mum incumbam. Hoc illa jam olim gravis & infelix ani-
ma querebatur. Ubi nunc meæ vires? ubi impetus? ubi
dextra tam fortis? uno ictu puto ne me quidem ipsum mi-
hi continget occidere.

DECLAMATIO II.

CÆCUS PRO LIMINE.

ARGUMENTUM.

Ex incendio domus adolescens patrem extulit. Dum matrem repetiit, & ipsam & oculos amisit. Induxit illi pater novercam. Quæ accessit quodam tempore ad maritum, dixitque parari illi venenum, quod iuvenis in sinu haberet, & sibi promissam dimidiam partem bonorum, si illud marito porrexisset. Intravit ad cæcum pater, interrogavitque an hæc vera essent: ille negavit: exquisivit, & invenit in sinu venenum. Interrogavit cui parasset, ille tacuit. Recessit pater, & mutato testamento, novercam fecit hæredem. Eadem nocte strepitus in domo fuit. Intravit familia in cubiculum domini, invenitque ipsum occisum & novercam juxta cadaver dormienti similem, cæcum in limine cubiculi sui stantem, gladium ejus sub pulvino cruentatum. Accusant se invicem cæcus & noverca.

Pro cæco contra novercam.

SENTIO, judices, pudori juvenis, pro quo minimum est, quod parricida non est gravissimum videri quod absolvendus est contra Novercam, & plurimum Cæco de reverentia deperire virtutum, cum in patrocinio summæ pietatis aufertur, quicquid alium defenderet innocentem. Hoc primum itaque publicis allegamus affectibus, quod pro se reus indignatur uti corporis probatione. Solus omnium non remittit sibi, ut incredibilior sit in parricidio Cæcus, quam fuit cum videret. Homo omnium quos unquam mi-
feros